

**De hydrargyro : dissertatio inauguralis pharmacologico-medica ... / auctor  
Guilelmus Kornmesser.**

**Contributors**

Kornmesser, Wilhelm.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini :Typ. Friedlaenderianis, 1837.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/m9hug23j>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**H Y D R A R G Y R O.**



**DISSERTATIO**

INAUGURALIS PHARMACOLOGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

**FRIDERICA GUILIELMA**

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

*DE* XXIII. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**GUILIELMUS KORNMESSER**

MARCHICUS.

**OPPONENTIBUS:**

C. KOEHLER, MED. ET CHIR. DR.

E. KIESLING, MED. ET CHIR. DD.

F. STEINER, MED. ET CHIR. STUD.

---

**BEROLINI,**

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.



DE  
M. Y. D. R. A. R. G. Y. R. O.

EDRORRE T' A' T' E' R' O

INSTITUTUS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

MDCCC

CONSENSU ET Auctoritate

RECTORIS UNIVERSITATIS

UNIVERSITATIS PATRIAE

IN FACULTATE MEDICINAE

ET CHIRURGIAE

DISCIPLINAE CHIRURGICAE

Digitized by the Internet Archive

in 2016

UNIVERSITATIS PATRIAE

PROFESSORIS

ALTON

GUILLIEMO HORNBERGER

OPUSCULUM

DE ...  
...  
...

**F R A T R I**

**CARISSIMO**

HASCE  
**STUDIORUM PRIMITIAS**

PIO GRATOQUE ANIMO

F. R. V. T. R. I.

GRATISSIMO

D. D. D.

**AUCTOR.**

Ut mori atque legibus majorum obtemperem, quibus pactum est, ut unus quisque ad summos in medicina et chirurgia honores adspirans, specimen studiorum emittat, huic officio et ego, quantum in me est, satisfacere studui. Multum diuque reputanti, quidnam potissimum ex tanto rerum medicarum thesauro elaborandum desumerem, de Hydrargyro quaedam conscribere, idoneum mihi visum est. Coepto autem opere, quam sit arduum, quantoque viribus meis admodum exiguis majus, probe intellexi, attamen propositi, tenax ab incepto desistere nolui, sperans, fore, ut, quamquam nemini eorum, qui hasce pagellas legant, mihi tamen scribenti fructus exinde nascerentur, et propriae experientiae defectus, quem ingenue confiteor, libris sententisque doctissimorum virorum perlustratis, aliquantulum sarciretur.

Qualiscunque igitur sit libellus, benevolo ut animo excipiatis, vos, L. L. b. b. enixe rogatos velim. —

---

## Caput I.

Argentum vivum, Graecis *ὕδραργυρος*, chemicis mercurius dictum, praeterea ab auctoribus aliis atque aliis nominibus notatum, (aqua metallorum, aqua sicca, argentum liquidum, argentum mobile, aqua viscosa, proteus et chamaeleon mineralis, servus fugitivus, illusor seu impostor chymicorum etc.) est metallum in aëre atmosphaerico fluidum, quod nulli alii metallo, quantum novimus, contingit, argentei splendoris, omnium corporum notorum, auro et platina exceptis, ponderosissimum, sanguine fere quatuordecies ponderosius; gradui frigoris —  $31^{\circ}$  R. expositum gelascit, +  $282^{\circ}$  R. fervet et in auras abit; si autem apparatu idoneo vapores volantes colliguntur, et frigore condensantur, constituent formam mercurii vivi, vaporazione ista haud quaquam mutati.

In terrae visceribus haud raro, quandoque purum, mobilitate et nitore lucido conspicuum, invenitur argentum vivum, et tunc virgineum audit, saepe tamen adjuncto sulphure minerali redigitur in statum minerae, quae nomine cinnabaris nativae

impertitur; haec est minera mercurii propria, ex qua mercurius destillatione purus elicatur.

Antiquissimis jam temporibus Hydrargyrum Graecis Romanisque non incognitum fuit: Aristoteles enim et Theophrastus Eresius<sup>1)</sup> verbis disertis idem memorarunt, et *ἀργυρόν χυτόν* appellarunt. —

Quatuor saeculis post Dioscorides<sup>2)</sup> ipso hydrargyri nomine usus, id e cinnabari obtineri, neque minus nativum reperiri, tradit; idem de gravitate ejus, diffusibilitate et damnis disserit, quae usus inducat. Quam exigua autem Dioscoridis hac de re fuerit notitia, partim ex manca praeparationis descriptione, partim ex eo patet, quod in vasis plumbeis, stanneis, argenteis asservandum hoc metallum esse contendit; scimus enim metalla dicta facile solvi hydrargyro. — Plinius<sup>3)</sup> non modo hydrargyrum commemorat, sed etiam attributa ejus: colorem argenteum, liquiditatem etc.; idem cum Dioscoride consentit, hoc metallum gravitate sua organa interna destruere. Galenus<sup>4)</sup>, etsi mentionem fecit hydrargyri, exiguam ejus notitiam nactus erat, neque enim noverat nativum, neque eo, tanquam medicamine, usus est, neque ullam facultatem, qua iusignatur, prodidit. Plurimi auctores,, etsi non-

1) De lapidibus, Epdit. Heins. p. 400.

2) De materia medica lib. V. cap. 64. p. 669.

3) Historia natural. lib. XXX. cap. 41. tom. III. pag 184.

— cap. 42. — cap. 20, pag. 177. — cap. 32, pag. 181.

4) De simplici medicament. facultate lib. IX. Opp. Class.



nulli, ut **Langenbecker**<sup>1)</sup>, **Paulum Aeginetam** primum fuisse putant, Arabes hoc remedium in medicinam introduxisse consentiunt. Initio quidem ab his medicis externe mercurius praesertim ad genitalium ulcera quaedam naturae occultae sananda in usum vocatus est. Inter medicos Europaeos nominatim **Theodorus Italus** et **Guido de Cauliaco** e mercurio et axungua porci confecerunt unguentum, quod contra scabiem aliasque cutis affectiones adhibuerunt. Seculo XV., quum morbus teterrimus, lues venerea, irrueret atque devastationes ingentes efficeret, certo remedio se destitui viderunt, ideoque morbum venereum ab agyrtis, aromatoriis, impostoribus curari passi sunt, donec ad mercurium, a multis adhuc in contemptu habitum, advertent animum. Primus omnium **Berengarius Carpensis** inunctiones mercuriales contra luem syphiliticam administravit; non vero unguentum tantum mercuriale, sed vapores quoque metallicos hunc in finem experti sunt. — **Joannes de Vigo** ineunte seculo decimo sexto hydrargyrum praecipitatum rubrum contra syphilidem interne adhibuit. Vulgo autem **Barbarossam**, piratam illum notissimum, internum mercurii usum ad debellandam luem veneream introduxisse, ferunt; pilulas enim ex hydrargyro, terebinthina et farina paravit, qua-

1) Exercit. pract. circa medendi methodum Lugd. et Amstel. 1673.

2) Commentar. super anat. Mundini Bonon 1521.

rum conficiendarum modum Francisco I, Galliae regi, oblato pretio apperuit, unde magnam pilulae Barbarossae celebritatem obtinuerunt. Tum praecipue Paracelsus usum hydrargyri internum in medicinam introduxit, et sectatores ejus, quamquam primo tantum contra syphilidem hoc remedium in usum vocabant, serius quoque in aliis morbis, e. g. in febribus, in hydrophobia, in hydrope, in arthritide etc., sanandis administrabant. — Magni faciendus est usus internus contra inflammationes, praecipue in earum stadio secundo, in multis etiam casibus in stadio primo. Medici anglici, praesertim Lind, Hamilton et Clark, primi fuerunt, qui hoc remedio in hunc finem utebantur. Benvenuto Bertini<sup>2)</sup> quoque febres et exanthemata, imprimis variolas et inflammationes, mercurii usu curasse traditur.

Recentiori tempore incitationis theoria, quam Brown, ejusque sectatores divulgaverunt, nonnullos quidem medicos a mercurii usu deterruit, attamen ex toto remedium abolere non valuit, eam praecipue ob causam, quod omnia in hydrargyri locum substituta, ad debellandum morbum syphiliticum, usu salutari destitui solebant. Postea, quum remedium quantitativi et qualitativi effectus penitus ven-

1) Pract. copios. in arte chirurg. Rom. 1514. lib. II. cap. 20.

2) Dissert. historico. epistolar. ad Beccorium, qua febres Lucens. domini describuntur etc. 1754.

tilari coepissent, non solum hydrargyrum in pristinam dignitatem restituebatur, sed etiam tanta cum audacia tantisque dosibus adhibebatur, ut fieri non posset, quin damna manifestissima apparerent: quibus rebus commoti recentiorum nonnulli, hydrargyri virtutibus nihil detrectantes, non abrogandum quidem hoc remedium, attamen usum ejus ita restringendum censent, ut aperta incommoda certo vitentur.

## Caput II.

### PRAEPARATA HYDRARGYRI.

#### 1. Mercurius reluginus.

a. Hydrargyrum depuratum, Mercurius vivus, s. purus, s. regulinus, s. depuratus. — Mercurius natus, fluidus, sive, ut dicitur, vivus vel currens, omnino inodorus et insipidus est, et in corpus humanum ingestus nullam aliam vim, quam quae ex pondere ejus in primas vias redundat, in corpus exserit, sed tubum intestinalem permeans, ano demum ejicitur nihil plane mutatus. Auctores quidem nonnulli, ut Moscati, ad experimenta provocantes dicunt, in ventriculo et tubo intestinalium hydrargyri partem in calcinationem redigi, alii vero hoc negant, et Fordyce refert, virum quendam per totum annum quotidie Mercurii vivi unciam unam sine damno deglutiisse; recentiore tempore igitur ad usum internum rarissime adhibetur, quamquam ab Ebers in Ileo ad dosin librae dimidiae commen-

datum est. In Germania nunc externe tantum, forma emplastri et unguenti in usum vocatur.

b. Aqua mercurialis cocta. Coctione hydrargyri puri, drchm. 1 — unc. 1 cum aquae libr. 1 paratur, et in helminthiasi partim interne, partim per enemata bono cum successu a beato Hufeland adhibita est.

## 2. Hydrargyrum oxydulatum.

a. Aethiops Merc. per se, Hydrargyr. oxydulatum nigricans. — In pulverem nigrum subtilem mutatur mercurius, si vase vitreo inclusus per longum tempus valide agitatur, unde etiam ex insipido fit acer, saporem quendam metallicum, cupreum, nauseosum efficiens. In pulverem nigrum etiam mutari potest, si addito simul pulvere quovis sicco, aut aliquantum tenaci, vel potius liquore quavis viscido, quantumvis blando, satis diu teritur.

b. Hydrargyrum oxydul. nigrum, s. Mercurius solubilis Hahnemanni, paratur conjunctione hydrargyri nitrici oxydulati cum Ammonio caustico. Substantia nigra, quae praecipitatur, edulcoratur et exsiccatur, constat ex hydrargyro oxydulato et ammonio nitrico.

c. Mercurius cinereus Blakii; — Merc. praecipitatus niger, seu griseus Saunderi; — Mercurius cinereus Moscati. — Quae remedia et quod ad parandi modum et quod ad effectum mercurio Hahnemanni similia, eandem ob causam non usitata sunt

d. Mercurius gummosus Plenckii, s. hydrarg. gummos.; Mercur. mellitus; Mercur. saccharatus, s. Aethiops saccharatus; Mercur. glyzirrhizatus, s. succus liquiritiae mercurialis; Mercur. alcalisatus; Mercur. graphitatus. Quae remedia, terendo cum substantiis indifferentibus parata, fortiora quidem sunt, quam Aethiops Mercurii per se, quum iis oxydulatio aliquanto major insit, sed Mercurio solubili Habnemanni rarius adhibentur, ejus efficacia promptior et certior esse solet.

e. Sapo mercurialis, s. hydrargyratus, nigricans, sapore acri, in aqua solubilis; constat ex sapone medicato et Hydrargyro oxydulato. Interne et externe interdum adhibetur. —

f. Emplastrum mercuriale, componitur ex emplastro lithargyri, cera, terebinthina et hydrargyro, quod hac conjunctione in oxydulum mutatur, griseum habet colorem, et externe velut remedium digestivum, resorptionem augens, aut solum, aut cum emplastro cicutae, saponato etc. etc. in tumoribus et indurationibus administratur. —

g. Remedium longe usitatissimum est unguentum hydrargyri cinereum, s. neapolitanum, s. mercuriale, quod trito mercurio vivo cum axungia porci paratur; griseum habet colorem et vetustissimis jam temporibus, praecipue autem seriori aevo, in morbis venereis in inflammationibus et indurationi-

bus efficacissimum exstitit ad augendam resorptionem, resolvendas atque digerendas ingurgitationes.

### 3. Hydrargyrum oxydatum.

a. Hydrargyrum oxydatum rubrum s. mercurius praecipitatus ruber. Hujus duae sunt species, quarum altera: Hydrargyrum oxydatum rubrum venale, non in pharmacopoliis prostat, quoniam mercurius non est; altera: Hydrargyrum praecipitatum praeparatum, est officinalis et obtinetur evaporatione solutionis mercurii vivi in acido nitrico, quae massa iterum conjungitur cum mercurio vivo et effervescentiae submittitur. Hoc praeparatum in loco tenebroso asservandum est.

b. Merc. viridis non usitatus est, quod cupri Hydrargyro oxydato admixti portio incerta est.

### 4. Salia Hydrargyri.

a. Mercurius cum quovis acido conjungi potest, et ex conjunctione ejus cum variis acidis plurima medicamenta in pharmacopoliis venalia prostant. Prae omnibus vero memoratu digna est illa conjunctio cum acido muriatico in minimo; maximo quidem cum jure, etenim haec forma non modo plurimis ac saluberrimis virtutibus insignitur, verum etiam ejus abusus, si quis committitur, leviora infert detrimenta, quam hydrargyri praecipitati et aliarum formarum. Inter omnia ejus nomina, quae sunt: chloretum hydrargyri, mercurius dulcis, hydrargyrum chlorinicum in minimo hydrargyrum muriaticum,

s. chlorinicum mite, panacea mercurialis, aquila alba mitigata, murias hydrargyri dulcis etc. etc., quibus hoc remedium notatum est, et quae veterioribus praesertim usitata erant, et partim ab ejus indole, partim ab usu egregio et vulgari desumebantur, nullum est communius, quam Calomelas. — Multae methodi calomelas parandi fuse descriptae sunt. Priores chemici, acidum muriaticum iuter acida orygenata referentes, mercurium sublimatum corrosivum habuerunt pro oxido hydrargyri muriatico, quod terendo cum mercurio vivo oxygenii partem, qua mercurius vivus oxyduletur, deponat eoque modo et ipsum mutetur in oxydulum. Quum porro sales oxydulati non tantum acidi contineant, quantum oxidati, acidum muriaticum in sublimato mercurio corrosivo contentum, sufficit, ut cum majori oxyduli quantitate formetur oxydulum hydrargyri muriaticum, quod tanquam calomelas sublimatur. Porro: Le Mort<sup>1)</sup> e. g. evulgavit methodum, qua hydrargyrum vivum cum natro muriatico misceri massamque cum duplici quantitate oxydi ferri rubri sublimari possit. Secundum pharmacopoeam Edinburgensem antiquiorem<sup>2)</sup> hoc praeparatum ita confici potest, ut quatuor partes mercurii sublimati corrosivi cum tribus hydrargyri vivi partibus sublimentur; qui parandi modus per breve tantum tempus place-

1) Chymia. med. physic. Lugd. Bat. 1696.

2) Pharmacopoea Edinburgens. 1735. pag. 186.

bat. Quo modo hydrargyrum muriaticum mite via humida paretur, Scheele<sup>1)</sup> docuit, qui hoc praeparatum e solutione hydrargyri nitrica per solutionem natri muriatici obtinuit. Via sicca, quam praecipit pharmacopoea borussica ad mercurium dulcem formandum, haec est: quatuor partibus hydrargyri muriatici corrosivi in mortario lapideo tritis et paulillo alcoholis irrigatis tres partes hydrargyri vivi puri adduntur, massaque teritur, donec pauci globuli animadvertantur totumque in massam cineream abierit. Haec, leni calore siccata in vitra aequalibila, bona, uncias 12 — 16 capientia, non nimis crassa, ostiis paulo amplioribus instructa, immititur, vel huc in finem cucurbitulae sublimatoriae, e vitro viridi, tenui, bene refrigerato confectae, eliguntur. Vasa tantum ad quartam, summum ad tertiam partem sunt implenda, tum in catino sublimatorio apto ita collocanda, ut arena quovis sub vitro altitudinem pollicis habeat, lateribus autem vitrorum ita admoveatur, ut modo quarta altitudinis pars nuda exstet. Ut omnia rite colesiant, initio adhibetur ignis lenior isque gradatim intenditur, donec vitrorum contenta avolare incipiant. Hydrargyrum vivum superadjectum, initio sublimationem expertum, postquam volatile evasit, vitrorum ostia operculo cretaceo laxo obturantur, arena caute, sed quam

1) Sämmtliche phys. u. chem. Werke herausg. v. Hermbstaedt Bd. II. 8. pg. 163 — 68.



celerrime, a superiori vitrorum parte ad aliquot pollicum distantiam removetur, ut mercurius sublimatus adscendens huic parti refrigeratae inhaerescere et condensari possit. Calor aequabilis ad sublimationem necessarius eo usque sustinetur, donec fundus vasorum vacuus et candes appareat. Inter sublimationem opercula cretacea per vices retrahuntur et ostium, si sublimato hydrargyro elevato obstructum sit, filo metallico reseratur. Finita sublimatione, vasa adhuc calida ex arena depromuntur, loca, quibus adhaesit mercurius sublimatus, spongia madida absterquatur, quo fit, ut vitrum rimas agat et hydrargyrum sublimatum post refrigerationem facile solvatur. Mercurius sublimatus mitis; frustulis solidis consistens, super lapide praeparatorio, adjecta aqua, in pulverem subtilissimum redigitur, qui siccatus et inter laminas chartae laevigatae complanatus, ne vestigium quidem punctulorum splendentium prodat necesse est. Ut omnes mercurii corrosivi reliquiae extinguantur, pulvis iste abluitur aqua, donec haec in oxydulum stanni muriaticum non amplius reagat; vel, quod melius est, cum alcohole digestus in umbra siccatur et asservatur. Pharmacopoea nostra praescribit sublimationem, qua omnino opus est, si praeparato post primam sublimationem particulae mercurii vivi et corrosivi intermixtae sunt.

6. Bichloretum hydrargyri, hydrargyrum mu-

riaticum corrosivum. Mercurius sublimatus corrosivus et mitis, s. lalomelas, sunt connubia chlori cum hydrargyro, partium modo constituentium proportionibus discrepantia. — Merc. sublimatus corrosivus est Hg. Cl. Cl i. e. atomus Chlori duplex cum Hydrargyri atomo simplici; addito altero Hydrargyri atomo, obtinetur Hg. Hg. Cl. Cl., i. e. Calomelas. Atomus chlori duplex, qui in mercurio sublimato corrosivo adstrictus est atomo simplici hydrargyri, addito altero hydrargyri atomo, adjuvante calore, ita distribuitur, ut tam chloridum hydrargyri quam hydrargyrum vivum, qua talia, aboleantur novumque oriatur connubium chemicum, chloretum hydrargyri, cujus cuiusque atomus chlori duplex continet atomum duplicem hydrargyri. Bichloretum hydrargyri sic obtinetur: mercurius vivus, in acido sulphurico solutus evaporatione in massam mollem et albam mutatus, natro nitrico immiscetur et sublimatur; tum crystalla quadrilatera alba sapore acri oriuntur, quae in aqua facile solvuntur, quo fit, ut nonnulla alia medicamenta ex hoc praeparato originem ducant:

α. Aether mercurialis, solutio mercurii sublimati corrosivi in Aethere vitrioli (gr. i in ʒj. Aeth vit.)

β. Solutio Swietenii, Aetheri vitrioli similis, tamen mitior.

γ. Aqua phagedaenica, solutio Hydr. sublimati in aqua calcis.

δ. Liquor hydrargyri muriatiti corrosivi. Mercurius sublimatus in ammonio muriatico cum aqua solutus.

ε. Unguentum hydrargyri muriatici corrosivi; conjunctio mercur. sublimati ℥j, ammonii muriatici ℥j et adipis ℥j. Cirillo praecipuae hoc praeparatum ad inunctiones commendavit.

2. Hydrargyrum ammoniato — muriaticum, s. mercurius praecipitatus albus, hydrochloras ammoniacus cum oxydo hydrargyri, quondam mercurius cosmeticus. Parandi methodus haec est: solutioni partium aequalium hydrargyri sublimati corrosivi et Ammonii muriatici natron carbonicum immiscetur, haec massa edulcoratur et praecipitata exsiccatur.

C. Hydrargyrum oxydatum sulphuricum, Mercurius praecipitatus flavus. Acido quoque sulphurico conjungi potest mercurius, si solutioni ejus in acido nitroso additur acidum vitriolicum. Hoc enim fortius mercurium attrahens cum eo conjungitur, et conjunctum, cum in aqua vix solubile sit, fundum petit, ut facile separetur. Mercurius etiam cum acido vitriolico uniri potest, si cum eo ad ignem ebulliat, et adhibito igne, donec fluidum omne abigatur, obtinetur calx alba, quae affusione aquae fatiscit in pulvorem flavescens, quondam turpethi mineralis, nunc mercurii praecipitati, s. emetici flavi nomine cognitum.

d. Mercurius solvitur facillime in acido nitrico et quidem duplici modo:

*α.* Liquor hydrargyri nitrici oxydulati, s. liquor mercurii nitrosi, oritur solutione oxyduli mercurii in acido nitrico; si solutio haecce rite evaporatur, non tantum aquosa pars acidi, sed multum etiam ipsius acidi abigitur, pulverem album relinquens, cui iterum acidum nitricum cum aqua destillata affunditur.

*β.* Liquor hydrargyri nitrici oxydati, s. liquor Beliosii, est solutio hydrargyri oxydati rubri in acido nitrico. —

Quae modo retulimus, sunt praecipua, saltem fundamentalia omnium medicamentorum, quae ex mercurio acidis conjuncto parantur.

Sunt quidem omnia acria, acies vero differentia acidi quodammodo variat, adeo ut ex acido nitroso minor, ex sulphurico major, ex muriatico maxima acies oriri videatur. —

Praeterea cum fere omnibus, quae supersunt, acidis conjungitur, cum acido phosphorico, tartarico, acetico, hydrocyanico etc. etc., quae vero omnia praeparata rarissime in usum vocantur.

Hydrargyrum substantiis aliis simplicibus admixtum, multa praeparata praebet, ex quibus haecce praecipue memoranda sunt. Conjunctione cum sulphure obtinentur quatuor praeparata:

a. Aethiops mineralis, s. hydrargyrum sulphuratum nigrum; aequales partes hydrargyri et sulphuris exactissime mixtae.

b. Aethiops antimonialis, s. hydrargyrum sti-

biato-sulphuratum (27. prt. sulphureti stibii, 1 sulphuris, 1 hydrargyri).

c. Pulvis alterans Plummeri, aequales partes calomelanos et sulphuris aurati.

d. Cinnabaris, ex sublimatione hydrargyri (858) et sulphuris (15) oritur.

In pharmacopoliis praeterea connubia cum Jodo et Bromo prostant, quae autem multo rarius, quam supra dicta, adhibentur.

### Caput III.

#### EFFECTUS HYDRARGYRI.

De praeparatis mercurii, quae vim notabilem in corpus humanum exserunt, scilicet de mercurio oxydato, de mercurio acidis conjuncto etc. etc. jam satis dictum est. Omnia illa, ut mihi videtur, vires easdem, saltem non nisi gradu diversas, ostendunt, effectus igitur communes nunc primum describendi sunt, deinde, qua ratione fiant, pro viribus explicandum.

Ex praeparatis mercurialibus supra dictis quodvis in ventriculum ingestum, praesertim, si ex acrioribus sit, vel pleniore dosi ingeratur, dolorem ventriculi facit, nauseam creat, vomitum ciet, idem in intestina delatum cathartici instar ventris fluxum cum torminibus inducit, imo Goelis affirmat, portiones largiores quandoque enteritidem lethiferam excitasse.

Si vero medicamentum mercuriale ex levioribus est, vel refracta dosi ingestum, et in sanguinem defertur, saepe sudoriferi loco fungitur, saepe urinam pellit, nec ullum datur corporis colatorium, cujus excretionem non aliquando adaugeat mercurius, sanguini admissus. Prae ceteris tamen omnibus frequentius ad glandulas salivales tendit, ibique salivam copiosam eliciendo symptomata, ut videntur, singularia inducit, quae sequenti ordine plerumque se excipiunt. Primum hominis os metallici quidquam, cuprei et fastidiosi sapit, halitus deinde graviter olet ac foetet, gingivae inflantur tumore quodam spongioso, adeo, ut frictione vel laesione quavis leviori ad sanguinem edendum propensae reddantur. Os internum totum calet sitique infestatur aeger; saliva denique fluit copiosior, plerumque viscida et acris. Si, dum haec fiunt, plus mercurii ingeritur, salivae adhuc major copia profluit auctoque ptyalismo, symptomata omnia inflammationis oris et partium vicinarum augentur. Totum os internum ulcusculis dolentibus obsidetur, glandulae salivales et muciferae omnes tument, lingua pellicula crassa, alba semper obducta, interdum tumet, adeo ut ore vix, aut non tota quidem, contineri possit. Labia, nec non tota facies, et fauces tumore calido afficiuntur, denique per totum horum symptomatum decursum plus minusve febricitationis semper adest.

Symptomata hsec pro quantitate mercurii ingesti, habitu corporis, aetate aegri, et praesertim pro regimine ejus vario, et plus minusve vehementia fiunt, et per longius vel brevius temporis spatium perdurant.

Si aeger se submitit aëri frigido, vel liquoris gelidi aliquid hausit, inflammatio oris plurimum augetur et plerumque saliva copiosior fluit. — Aliquando ex frigore, corpori utcunque applicato, nonnunquam sine causa ulla evidenti, mercurius antea per corpus diffusus, subito et largior ad intestina ruit, turbas ibi maximas et periculosas admodumiciens; tormina atrocia cum anxietate summa excruciant, dejectiones alvi tenues, aquosae, nonnunquam sanguinolentae, crebrae, copiosae, aegrum debilitant, unde animi deliquium, imo mors, saepe nascuntur. —

Hi sunt effectus generales mercurii praeparati, et in corpus humanum ingesti, ut supra diximus; jam, qua ratione haec omnia eveniant, exponendum est.

Medicorum plerique, inter quos celeberrimi, hos effectus omnes ab efficacia mercurii in humores corporis repetierunt. Cum mercurius sit corpus ponderosum, et sanguine fere quatuordecies gravius, non dubitant, quin sanguini admistus pro ratione ponderis momentum majus habeat, et inter particulas sanguinis ideo distributus, eas dividat,

ita ut tota massa liquidior, et per secretiones quasque ad profluendum opportunior omnino evadat, vel saltem sanguis mercurio impraegnatus ponderosior reddatur et ad permeanda minima quaeque vasa aptior existat. — Haec theoria, utcunque magnis auctoritatibus fulciatur, vix non dubitationem admittit. Nam, si mercurius pro gravitate, qua pollet, maxima ad solvendum sanguinem idoneus fuerit, nonne etiam expectandum foret, alia corpora, sanguine etiam multo graviora huic immista, effectus quodammodo similes esse praestitura? At vero ex alio metallo nullo, ne ex auro quidem ingesto, effectus similes observati sunt. Aurum enim ponderosissimum, in partes minutas divisum, aquae liquidissimae cohaerentiam superare haud valet, sed in ea facile suspenditur; a gravitate ergo specifica sola cujus vis medicamenti solutio sanguinis nequaquam deducenda est. Porro: nulla sanguinis mutatio evidens revera e mercurii usu oriri videtur; nam tempore salivationis, mercurio satis largo provocatae, saepe sanguinem missum haudquaquam differre videmus a sanguine corporis integri, eadem enim portio cruoris apparet, idem secessus accuratus in cruorem et serum in illo, quam in hoc evenit. Eo tantum sanguis hominis salivatione laborantis a sanguine hominis sani differre videtur, quod in illo cruor ob inflammationem, salivationis comitem fere singularem, cuticula tenaci alba sem-



per obducitur. Denique, probe notum est, mercurium nonnullis hydropis speciebus mederi; nocere autem omnino oportet fluidis jam nimium solutis hoc medicamentum, quippe quod ea magis solveret.

— Quibus omnibus rite repensis, satis clare, ut mihi videtur, elucet, mercurium hac ratione effectus suos non praestare; sed probabile admodum est, mercurium irritamenti more in universum agere, et effectus ejus omnes velut stimulis productos satis bene explicari posse: motus enim fluidorum per vasa corporis capillaria, speciatim per tubulos glandularum secretorios, ab horum vasorum motu oscillatorio, ad quem stimulo fluidorum excitantur, praecipue peragitur. Acve quodvis cum sanguine commixtum stimulo suo solidorum contractiones naturales augebit, cordis ideo et arteriarum motus validiores et crebriores efficiens, circuitum sanguinis multum promovebit, qua ratione circumacti sanguinis impetus et excretionum omnium copia, stimulis ad excretoriorum oscula admotis, insigniter et forsitan praecipue augentur. Multa quoque phaenomena mercurio ingesto producta, hanc explicationem tumentur. Nam hydrargyrum, ut supra diximus, ventris fluxum inducit. Cathartica autem omnia plus minus acria et stimulantia sunt, et irritamento eorum cum superficie interna intestinorum communicata oscula canalium excretoriorum omnium, ad internam illam superficiem patentium, excitantur et

fluida quaeque in cavum intestinorum naturaliter depluentia, majori copia eliciuntur, tum simul fibrae intestinorum musculares irritatae dejectiones alvi crebriores faciunt. Certe, ut mihi quidem videtur, mercurium, effectus prorsus similes exserentem, eadem irritante vi eos exserere putandum est.

Jam igitur effectus mercurii nonnullos consideravimus, et eosdem irritamenti more productos esse, quantum in nobis erat, ostendere conati sumus. De effectibus ejus igitur et agendi modo, jam satis egimus. Restat, ut de usu ejus paucis disseramus.

#### Caput IV.

#### DE USU HYDRARGYRI.

Quamquam hydrargyrum non modo antiquissimis innotuit medicis, sed etiam breve post tempus multis modis examinatum, variasque ejus facultates detectae sunt, multo tamen serius in officinas receptum est. Persuasum enim omnes habuerunt, venenum esse acerrimum atque detestabile; hydrargyrum gravitate sua organa interna destruere existimarunt, qua ex causa initio externe tantum administrabatur mercurius contra ulcera quaedam, post coitum impurum in genitalibus nata, quippe quibus mercuriales inunctiones mederi putarentur crebrius autem necandis pediculis, scabie, aliisque morbis cutaneis sanandis, hydrargyrum impenderunt, ut Janus Damascenus, Avicenna etc.

Medici Europaei, imprimis Galeni auctoritate deter-  
 riti, multo diutius a mercurialium usu abstinuerunt,  
 donec expeditionum sacrarum temporibus per Ara-  
 bes edocti, de unguentorum mercurialium usu egre-  
 gio ad debellandos morbos cutaneos sibi persuade-  
 bant. De interno autem hydrargyri usu multos per  
 annos ambigebatur, donec Paracelsus, rejectis  
 inunctionibus mercurialibus, novam adhibendi me-  
 thodum doceret, variaque hydrargyri praeparata, ut  
 hydrargyrum oxydatum rubrum, hydr. nitricum,  
 nec non muriaticum corrosivum et mite aegrotis  
 exhibebat, et hoc tempore, exceptis salibus aliquot  
 neutris atque mediis, ut natro sulphurico, ammonio  
 muriatico et similibus, nullum existere puto medi-  
 camentum, cujus usus et administratio adeo fre-  
 quens sit atque communis, quam hydrargyri.

Quamquam pauci existunt morbi, qui per se  
 spectati, mercurii usum plane respuant, nullus ta-  
 men omnium plus ei debet, quam syphilis, cujus  
 fere omnes formae promptissime atque tutissime ei  
 cedunt. Inter varia mercurii praeparata delectus  
 quidam habendus est. Haec nonnisi aciei gradu  
 diversa esse, supra diximus. In praesens igitur de  
 delectu eorum adnotasse sufficiat, mercurium cum  
 viscido quodam tritum, calomelas et similia mitiora,  
 tutius exhiberi, ventriculum et intestina minus fa-  
 cile laedere neque tam subito in os prorumpere so-  
 lere. Hinc praeparatis hisce mitioribus plerumque

utimur, et ex his praesertim Calomelane. Effectus hujus remedii, quamquam per se mitissimi, adeo promptus est, ut nullum aliud ei possit aequiparari; idem effectus est certissimus, cujus quemlibet gradum, usu mercurii dulcis interno moderari licet. Quod attinet ad intensitatem, multo majorem gradum hocce remedium tenet, quam erydula, scilicet medium fere inter haec et salium oxyda. Sed praeparata quoque acriora, ut mercurius sublimatus corrosivus etc. saepe in usum vocantur, quae non tantum tuto, sed etiam optimo cum successu adhibentur. Haec, si refracta modo dosi ingeruntur, satis tuto dantur et plerumque citius quam mitiora quaevis per vias sudoriferas et uriniferas transeunt et has evacuationes potentius cientia, vasa salivalia minus facile ducuntur. Sine salivatione igitur morbis satis certe et satis cito etiam medentur, et illa vetustissima opinio, quae etiam ad nostra fere tempora pervenit, ptyalismum mercurio excitatum ad luem veneream radicitus evertendam omnino necessarium esse, plane est rejicienda. Cuius quoque symptomata ptyalismum comitantia attentius reputanti facile patebit, nihil nisi spem solam, malum foedissimum depellendi, ut nauseam, molestiam, vel periculum hujusmodi medelae subeat, aegrum permovere posse; angina, phrenitis, dysenteria, ptyalismo supervenientes, saepe subito miserum e medio tollunt; et si haec pericula effugerit, salvatione

peracta, tumores faucium et oris scirrhusi, maxillae immobilitas, conglutinationes linguae cum palato, buccarum cum gingivis, debilitas corporis maxima (cachexia mercurialis), tremor, paralysis, diathesis phthisica et alia mala saepe sequuntur, quae miserum vel diu excruciant, vel tandem occidunt. Ex his satis apparet, molestiam et periculum salivationis non tantum ab aegro, sed etiam a medico, si fieri possit, omnino vitanda esse; neque dubitamus asserere, si lui venereae ope mercurii mederi velimus, aliam viam inire nos posse, ac debere. In hunc finem antequam mercurius ingeratur, oportet implere corpus decocto diluente et attenuante, quo secretiones urinae et perspirationis promptiores et laxiores evadunt et eo facilius mercurius illuc ducatur; convenit etiam, cutim totam balneo tepido mundari, laxam et apertam reddi. Corpori ita parato, mercurius, sive per os ingerendis, sive cuti inungendus sit, dosibus semper parvis, nec nisi per intervalla longiora adhibendus est, tum ut effectus ejus in diversis corporibus diversissimi luculentius perspiciantur, tum ut caveatur, ne nimis subito in glandulas salivales irruat. Per totum etiam tempus, quo mercurius quocunque modo praeparatus adhibetur, simul copiam satis largam decocti diluentis ingeri convenit aegerque utatur diaeta tenui, blanda, acribus et pinguibus quibusvis omnino vitatis. E. G.: pro prandio phialae

duae aut tres infusi theiformis, aut lactis cum pauxillo panis triticei, pro coena meridiana patina minor sorbitionis eupeptae, vel cum vel sine jusculo carnis et pauxillum opsonii sine carne, pro coena vespertina vel sorbitio levis, vel theae aliquot phialae, pro potu aqua saccharata, aut aqua cum lacte suppeditentur. Sedulo sub usum mercurii frigus a corpore arcendum, nec tamen aeger in nimio calore detinendus est. Aeger, submissus temperie aequabili gradum XVI. R., totam per curationem detineatur in cubiculo.

Multae mercurium in syphilide adhibendi methodi propriae sunt commendatae, quibus praeparata hydrargyri partim interne, partim externe in usum vocantur. Interne praecipue mercurius dulcis adhibetur. Richter quidem ad hoc praeparatum rarius confugiendum dicit in morbo venereo, non quod salivationem facile excitet, ut Galli putent, sed quod diutius adhibitum in tubum intestinalem inimice agat. Experientiam docuisse tradit, modo leviores atque primarias syphilidis formas eo sanari, saepeque morbum, solo calomelane curatum, recidivum fieri. Rust omnes inquit syphilidis inflammatoriae formae prae ceteris calamelanos usum requirunt, ut bubones, praeputii inflammationes, testiculorum, conjunctivae, oculorum etc. — Weinhold curationem mercurialem magnam commendat, prae primis in syphilide inveterata. Multi autem medici, ut

Hufeland, Chelius, Sundelin, alii, hanc methodum vituperant; partim incertum effectum ei exprobrantes, partim noxam imputantes. Neumann vero efficaciam non modo eximiam ejus laudat, sed etiam aliis methodis, praesertim Louvrieri inunctionibus, eam praeponit. Promptissime ulcera syphilitica, ozaenam, ophthalmias diuturnas, cariem, imprimis palati duri, et syphilidem rapidiorem, hac methodo curari, contendit, minus autem morbos cutis venereos, minime condylomata. — Praeterea syphilidem curandi methodi sunt commendatae: a Cullerier, Cirillo, Dessault, Dzondi etc. etc.

Non in lue tantum venerea mercurius in usum vocatur, sed contra morbos diversissimos jam Zacutus Lusitanus eum commendavit. Fabricius Hildanus de mercurii administratione contra arthritidem et rheumatismum primus disseruit, minime vero eum comprobavit. Helmont, neque minus Hufeland, aquae mercuriali vires anthelminticas adscripserunt. Praeterea in multis febribus, exanthematibus, imprimis variolis et inflammationibus, plica polonica, hypochondria, melancholia et mania, in hydrope, ileo, scrophulosi, struma, spina ventosa, imo in omnibus fere humorum et partium solidarum morbis exhibitum esse mercurium, satis fusc exposuerunt multi auctores.

Ut effectus autem obtineatur salutaris, non praetermittendae sunt quaedam cautela eorporisque conditiones, quae mercurii usum vel restringi, vel arceri jubent, de quibus nonnulla apponam. Status inflammatorius hypersthenicus, erethismus systematis vasculosi insignis, constitutio debilis, sensilior, ad spasmos asthenicos et nervorum affectiones opportuna, hypochondria et hysteria mere nervosa, pro persio ad haemorrhagias, imprimis ad hasmoptysin, dispositio phthisica manifesta, habitus tenerrimus, aut leucophlegmaticus, graviditas, senectus, nimia ventriculi et intestinorum irritabilitas, prae ceteris indoles scorbutica et putrida, generatim mercurii

usum vetare putantur. — Corpora obesa, spongiosa, plethorica, cum fibrarum laxitate, nec non spirituosus dediti homines, minus bene sustinent hydrargyrum. Multo minus ejus usus convenit in morbos tabificos, a nervorum systemate ortos, suppurationes profusas tam internas quam externas.

Infantes mercurium facile sustinere, raroque aut nunquam ptyalismo corripitur, medicorum plerique consentiunt.

### V I T A.

Ego Alexander Guilelmus Franciscus Kornmesser die XXXI. mensis Martii a MDCCXIV Schwachenwaldae, haud procul a Friedeberga, Neomarchicae oppido, patre optimo Friderico Guilelmo, verbi divini ministro, morte praematura jam dudum mihi erepto et matre carissima Dorothea e gente Runge, natus et fidei evangelicae addictus sum. Primis literarum rudimentis imbutus Gymnasium, quod Primislaviae directore Paalzow adhuc floret, adii ibique per quinque annos ad literas incubui, rebus vero familiaribus pressus id prius, quam maturitatis testimonium accepissem, reliqui. Tunc a MDCCCXXXIII. inter cives academiae militaris medico-chirurgicae receptus per quatuor semestria hisce lectionibus interfui:

Ill. Link de historia naturali et botanice; Cel. Wolff sen. de encyclopaedia, logice, psychologia; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia; Cel. Turte de physice, chemia, pharmacia; Ill. Müller de anatomia universa, organorum sensuum, physiologia; in arte cadavera rite secandi Ill. Mül-



ler et Ill. Schlemm praeceptoribus gavisus sum; Cel. Eck de physiologia; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali.

Tum, examine scholastico rite peracto, maturitatis testimonio ornatus ab Ill. Steffens t. t. Rectore Magnifico universitatis Fridericae Guilelmae in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Busch, t. t. decano spectatissimo facultatis medicae, medicorum ordini a. MDCCCXXXV. die I mensis Juuii adscriptus, hisce praelectionibus interfui.

Ill. Fr. Hufeland de semiotice; Ill. Hecker de pathologia et therapia speciali; Ill. Ossann de materia medica; Cel. Froriep de akiurgia; Ill. Busch de arte ocstetricia. Praeterea clinicis exercitationibus medicis, chirurgicis, ophthalmiaticis, obstetriciis. Ill. Bartels, Cel. Wolff, Cel. Barez, Ill. Rust, Ill. de Graefe, Ill. Busch adfui.

Quibus viris omnibus maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero peracto studiorum cursu ac tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite absolutis, gratiosum medicorum ordinem oro rogoque, ut, dissertatione ac thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---

#### THESES.

- 1) Nonnisi signis acusticis ad diagnoscendam graviditatem fides est habenda.
  - 2) In praxi privata mercurii usus ad sanandos morbos syphiliticos antiphlogosi est praeferendus.
  - 3) Inflammatio non est vis vitalis aucta.
  - 4) Trepanatio prophylactica est laudanda.
-